

media possunt inferre plures conclusiones; per doctrinam  
*Aristotelis 1. prior. c. 2.* Ubi tamen sciendum, unum Syllogi-  
 smum habere unam conclusionem, quæ immediate ex eo  
 sequitur, ex qua conclusione immediate illatâ, plures aliæ  
 inferri possunt. Quod perpalam est in Reductione quo-  
 rundam Syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad pri-  
 mam, ubi non eadem conclusio in Syllogismo reducto  
 sequitur, sed saltem convertens, veluti in modis: *Came-  
 stres & Disamis*, quo tamen non obstante reductus & redu-  
 cibilis dicuntur esse idem Syllogismus. Et quidem variis  
 modis possunt aliæ propositiones annecti principali con-  
 clusioni alicujus Syllogismi (1) per conversionem conclu-  
 sionis, veluti, si ad conclusionem universalem negativam  
 inferatur ejus convertens, sicut in præfatis modis *Came-  
 stres & Disamis* contingit, vel si ad universalem affirmati-  
 vam inferatur particularis affirmans, ceu in modis *Baralip  
 & Barbara* fieri solet. Vel si ad particularem affirmati-  
 vam inferatur alia particularis affirmans, ceu videre est in  
*Dabitis & Darii.* (2) per subalternationem; quomodo ad  
 conclusionem universalem subalternantem inferatur par-  
 ticularis subalternata, e. g. sit conclusum: O. virtutem esse  
 laudandam, ex quo per subalternationem etiam sequitur:  
 Q. virtus est laudanda. Idem in negativis procedit: Nul-  
 la planta sentit. E. Quædam planta non sentit. Quibus duo-  
 bus modis B. Scheiblerus, alios quoque adjicit, quando tract.  
*Sylog. c. 2. th. 13. n. 23. inquit: Sic etiam ex toto alia inferuntur  
 partes. Veluti si illatum sit, animam esse in quolibet membro vi-  
 ventis: Rectè inferitur: Et per consequens etiam est in pede viven-  
 tis. Si illatum sit: Deus est ubiq;: rectè attexitur: Et per conse-  
 quens; Deus etiam est apud reprobos. Ad hanc: Deus semper est  
 iustus: rectè attexitur: & per consequens, Deus fuit iustus &  
 erit iustus. Semper enim requirit universitatem temporis. Potest*  
ad